DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HEPATITIDE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Auctoritate Dignissimi Vice-Cancellarii,

GULIELMI LEECHMAN, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu;*

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS MAJOR DIXON, A.M.

CIVIS VIRGINIENSIS.

SOC. REG. MED. EDIN. SODAL.

NEC NON

SOCIET. PHYSIC. EDINEN. SOC.

AD DIEM XX. SEPTEMBRIS, HORA PRIMA P. M.

LOCO SOLITO.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS,

EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.DCC.LXXXIV.

VIRO ORNATISSIMO

JOANNI DOBSON

ARMIGERO

APUD HULL

IN COMITATU EBORACENSI;

NEC NON

VIRO ILLUSTRI

ROBERTO NORRIS

ARMIGERO

APUD LIVERPOOL

IN COMITATU LANCASTRIENSI,

OB BENEFICIA FERE INNUMERA,

QUAE UTERQUE IN SE GENEROSE CONFERENDA

CURAVIT:

DENIQUE

FRATRI SUO DILECTISSIMO

JOANNI DIXON

ARMIGERO

IN COMITATU GLOCESTRIENSI APUD

VIRGINIAM,

QUI VICEM PATRIS OPTIMI ANTE ALIQUOT

ANNOS DEFUNCTI,

QUANTUM IN SESE FUIT, REDDIDIT,

ET OMNIA, QUAE A FRATRE PRAESTANTISSIMO

POTUERUNT SPERARI,

NUNQUAM

NON LUBENS PROMPTIUSQE PRAESTITIT;

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

EA,

QUA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D. CQ.

AUCTOR.

Mr Hart Surgn.
wth best Compts
from his Obt Servt
W. M. D

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

DEFINITIO MORBI.

"PRYREXIA, hypochondrii dextri
"tenſio et dolor, ſaepe pungens pleu-
"ritici inſtar, ſaepius obtuſus; dolor ad
"claviculam et ſummum humeri dextri;
"decubitus in ſiniſtrum latus difficilis;
"dyſpnoea; tuſſisſicca; vomitus, ſingul-
"tus."

Definitionibus hujuſce morbi, quae a noſologis traditae fuerunt, diverſis attente conſideratis, illuſtriſſimi Culleni propriam reliquis longe anteponendam duco, quoniam, ſi omnes characteres notaeve ab illo

memoratae ſemet oſtendant, utrum morbus necne ſubſit, nullum omnino dubitandi locum relinquit.

Ex iis, quae ſubſequuntur, auctorem ipſum doctiſſimum, cujus veſtigiis, quantum fieri poteſt, inſiſtere decrevi, definitionem ſuam non omnem exemplorum varietatem eſſe comprehenſuram, niſi omnes characteres conjungerentur, putaſſe abunde conſtabit. Si hoc autem fiat, quin morbus, quem ſum executurus, adſit, ambigi nequit. Contra vero, ſi hoc negligatur, nullus characterum ſeparatim conſideratus hepatitidem, ob magnam quae hanc inter et reliquas phlegmaſias intercedit ſimilitudinem, pro certo adeſſe oſtendet.

Hypochondrii dextri quidem tenſio et dolor ſunt ſigna hepatitidis uſitatiſſima, ſed his etiam falli periclitamur. Neminem enim, qui hepatis ſtructuram ſitumque novit, latere poteſt, non admodum exiguam ejus partem in hypochondrium ſiniſtrum longe excurrere. Quid autem obſtat, quo minus haec aeque facile, ac reliquae partes, afficiatur? Quod ſi evenit, et diagnoſin

gnosin a sede doloris solita tantum deducimus, in errorem incidemus et aliam phlegmasiam, non hepatitidem, adesse putabimus. Rursus dolor hypochondrii dextri inflammationes viscerum vicinorum, ut ventriculi vel coli, saepe comitatur, et igitur pro vero et certo hujusce affectus indice nequit haberi.

Nec multum diagnosi luminis offundet status doloris consideratus; etenim si membrana peritonaei, quae semet in totam hepatis superficiem diffundat, laboret, pleuriticum ex toto referet, nec signa pneumoniae praecipua, spiritus nempe difficilis et tussis molesta, deerunt. Quam difficile sit pleuritidem ab hepatitide accurate secernere clare evidenterque demonstrat casus a viro celeberrimo Culleno in praelectionibus suis memoriae proditus. Quidam, qui pleuritide saepius laborare fuerat existimatus, et omnia remedia in auxilium ejus morbi prompta adhibuerat, post aliquantum temporis alio morbo extinctus est. Cadavere inciso, pleura partibus thoracem continentibus non adhaerere reperta est;

sed

ſed pars hepatis peritonaeo valide fuit adnexa, et ſigna inflammationis, quae ex toto deceſſerat, manifeſtiſſima habuit.

Quantum dolorem ad claviculam ſpectat, qui pro ſigno hujus affectus pathognomonico habitus fuit, ambiguus eſſe videtur, quoniam hoc in morbo, niſi hepar diaphragmati adhaereat, nunquam accedit, et nonnulla quoque inflammationis mediaſtini exempla comitari ſolet.

Aliud hepatitidis ſignum eſt decubitus in latus ſiniſtrum difficilis. Hoc vero non in omnibus caſibus expectandum. Namque tantum incidit, cum hepar peritonaeo lateris dextri adhaeret, cumque moles ejus pondusque tanta ſunt, ut decubitus in latus oppoſitum dolorem moveat, et ligamenta hepatis lateralia dilaceret. Caeterum, ſi res aliter ſe habent, ſatis facilis erit in latus ſiniſtrum decubitus.

Tuſſis ſicca, vomitus et ſingultus ſunt haud dubie hujuſce morbi characteres; ſed ſeparatim ſumpti non eum magis, quam aliquot alios, adeſſe ſignificant.

Si haec argumenta rite perpendantur, facile

facile concedetur, nullum e ſignis per ſe conſideratum morbum ſubeſſe indicare valere; ſed omnia conjuncta, utrum affectus necne adſit, vix ullum dubitandi locum relinquere poſſe.

HISTORIA.

Inflammatio hepatis ab auctoribus accuratiſſimis duplex, acuta, vel longa aut chronica, eſſe cenſetur. De hac pauciſſimis tantum differemus, quoniam rariſſime morbum ſubeſſe pro certo noviſſe poſſumus, et ſuſpicionibus meris inducti nulli certae medendi rationi inſiſtere debemus.

Acuta autem affectus membranae hepatis externae ſemper eſſe videtur, et ab horroribus ſaepe incipit, quos calor aliaque ſigna pyrexiae propria excipiunt. Deinde regionis hepatis dolorem conqueritur aegrotus, qui vel obtuſus, vel acutus eſt pleuriticumque reddit. Silentio non praetereundum videtur, modo hunc, modo illum eundem aegrotantem infeſtare. Morbum nonnullis in exemplis comitatur tuſ-

ſis,

ſis, quae plerumque ſicca eſt, ſed nonnunquam humida. Cum dolor pleuriticum refert, aeger in latus affectum tantum facile decumbere poteſt.

Dolor calore, et tenſione partis laborantis dolorifica ponderiſque ſenſu, plerumque ſtipatur. Si pars hepatis convexa afficiatur, dolor ſpiritum trahendo et emittendo multum augetur, ſemet ad claviculam ſummumque humeri dextri diffundit, et, preſſura parti laboranti applicata, ingraveſcit. Quinetiam in conſpectum non raro ſeſe dat auctus totius hepatis manifeſtus. Si, contra, pars concava laboret, minus urgent tuſſis et dyſpnoea, et plus moleſtiae aegroto faceſſunt anorexia, nauſea, vomitio, et non raro ſingultus, et quae materia rejicitur, ea manifeſte Biliosa eſt.

Facies pallida eſt, vel colorem flavum viridemve ſibi nonnunquam adipiſcitur. Urina colorem perquam flavum, ut in ictero, habet, turbida et quantitate imminuta. Caeterum experientia teſtatur, hepatitidem, nullis ſignis ictericis ſubſtantibus, ſaepe accedere poſſe.

Hoc

Hoc morbo colluctantes nonnunquam exercet alvus dura, quae tamen plerumque fusa est, et biliosa dejicit. Lingua aegrotantium crusta nigra vel flava cooperitur, pulsus arteriarum duri et plerumque pleni sunt, cutis calida et sicca, circulo regionis hepatis insigniter calefacto.

Haec, si non omnia, praecipua saltem sunt signa, quae in acuta hepatis inflammatione semet ostendunt. Proximum est, ut nonnulla e signis maxime notabilibus, quae hepatitidem longam chronicamve, quae partis hepatis parenchymatosae affectus est, accessisse demonstrant, commemoremus.

Cum haec inflammatio chronica, viris celebribus * Lieutaudio, Morgagnio et Boneto testantibus, sine acuta invadat, et plurimum periculi habeat, secreto et quasi furtim invadens, vix aliquid pyrexiae nullumque dolorem insignem movens, signa ejus

* Vide Lieutaud. Obs. 705, 6, 10, 15, 19, 22, 23, 37, 41. Morgagn. Epist. 36. §. 4, 17, et 25. Bonet. Lib. 3. §. 17. Obs. 2. et sequent.

ejus praecipua silentio non praetereunda putavi.

Hic dolor et alia actionis vasorum adauctae signa adeo levia sunt, ut etiam aegrotum ipsum fugiant, et medicum quoque, si non animum ad naturam morbi investigandam perquam attentus admoveat, nonnunquam decipiant. Caeterum morbum subesse indicant nonnihil plenitudinis leviorque ponderis in dextro hypochondrio sensus, quidam dolores lancinantes hic aliquando percepti; molestia dolorque, parte laborante pressurae objectâ, excitata, et denique calor partium internarum praeter naturam adauctus. His accedunt languor corporis gradatim major evadens, et color faciei floridus valetudinisque commodae index pallido morbidoque mutatus. Hoc signum postremum hanc inflammationem ab abscessu musculorum potissimum secernere putat Galenus, et se hanc flavedinem in omnibus exemplis hepaticis constanter offendisse, unde hunc affectum, dum alii eum abesse sibi persuaserunt, subesse comperire valuerat, memoriae

riae prodit. Hunc vero Galeni obſervatum non confirmant hodierni medici accuratiſſimi.

In hac, ut in acuta inflammatione, alvus vel fuſa, vel adſtricta eſt, et, cum morbus inveteravit, aegrotus miſerandus in *Tabem Hepaticam* incidit.

FINES INFLAMMATIONIS.

Quanquam hepatitis, uti optimi auctores teſtantur, exitum modo poſitum habere conſuevit; in morem tamen aliarum inflammationum reſolutione, ſuppuratione, exudatione, ſchirro vel gangraena finitur. Silentio non praetereundum eſt, quod ſaepius in reſolutione et exudatione, quam in ſuppuratione, et frequentius in ſuppuratione, quam in gangraena, terminatur. Cum cauſas, unde ſinguli ex hiſce finibus profluant, plene inveſtigare ab incepto ex toto alienum eſſe exiſtimem, nihil aliud quam eos nominatim percurri.

Si inflammatio ad finem perducitur, dum textura partis laborantis immutata

manet, in reſolutionem deſiiſſe dicitur. Haec autem modo ſequente incidere ſolet. Impetus ſanguinis per ſyſtema univerſum adauctus ſaepe facit, ut ſanguis e partibus ab affecta longe diſtantibus, exempli gratia, e vaſculis narium propriis vel haemorrhoidalibus, erumpat. Profuſiones vero hujuſmodi ſanguineae ad diatheſin phlogiſticam tollendam, et igitur ad ſpaſmum partis ſingularis inflammatione laborantis, et congeſtionem humorum ibi factam, levandum non raro ſufficiunt. Quin etiam diarrhaea bilioſa tumorem hepatis depellere comperta eſt, quod ratione modo poſitâ explicari poſſe putamus. Inſuper ſudores liberales et univerſi, vel urina ſedimentum copioſum deponens, hanc, perinde ac alias inflammationes, feliciter ſuſtulit. Eryſipelas quoque hunc morbum fauſte finivit, quod in exemplis hujuſmodi more epiſpaſticorum, i. e. curſum humorum ad ſuperficiem faciendo, agere, et ita ſpaſmum ubique dominantem removere opinamur.

Inflammatio hepatis, ut in reliquis viſ-

ceribus

ceribus incidit, in exudatione e ſuperficie partis laborantis, ut ſupra comprehendi, terminari poteſt. Hoc autem frequenter evenire teſtatur hepar peritonaeo adhaerens, quod inter cadavera humana incidenda non raro offenditur.

Cum morbus ſchirro finitur, durities tumorque manent, poſtquam reliqua ſigna ceſſarunt. Schirrus per totum vitae decurſum ſaepe reſtat, nihil mutationis ſenſibus percipiendae ſyſtemati inferens. Plerumque vero hydropem movet.

Circa diem tertium vis morbi fere imminuitur. Si vero ad ſeptimum uſque urget, ſuppuratio eſt exitus ſolitus. Dolor eo tempore acutus eſt, et motu pulſatili et calore urente ſtipatur. Adeſt quoque plerumque tumor magnus, et nonnullis in exemplis fluctuatio plane ſentitur. Pure formato, horrores accedunt. Abſceſſus autem varios fines habere ſolet. Pus nonnunquam per vaſcula abſorbentia in ſyſtema ſanguiferum devectum per excernentia diverſa, ut renum propria, e corpore expellitur. Aliquando rejicitur ,vel

per

per ductus biliferos in canalem alimentarium descendens una cum stercore excernitur. Abscessus viam ad cutem usque sibi nonnunquam patefacit, pus externe effundens; vel interne ruptus idem in cavum abdominis evacuat. Si partem hepatis superiorem convexamve tenet, pus acrimoniâ suâ vel pressurâ septum transversum erodere, et ita semet in cavum pulmonum effundere potest. Nec exempla defuerunt, ubi, rebus ita se habentibus, pus fuit expectoratum, et aegrotus, quod minime sperares, ad sanitatem reductus. Casum viri generosi, qui curae suae mandatus est, insignem memoriae prodit celeberrimus Cullenus. Omnia inflammationis hepatis signa habuit. Cum aliquamdiu aegrotasset, magnam puris quantitatem extussivit, quod per dies decem facere non cessavit, et tandem ex toto convaluit.

Gangraena est finis hujusce inflammationis admodum rarus. Cum incidit, quanto in periculo aegrotus versetur supervacaneum est dicere. Eam autem accessisse testantur doloris cessatio, et pulsus ar-

teriarum

teriarum debiles, celeres, exiles tremulique facti.

Species quas prae ſeſe ferre conſuerunt cadavera inciſa.

Hiſtoria hepatitidis nunc ad finem perducta, quae ſigna morbida in cadaveribus inciſis ſemet oſtenderunt, ea deſcribere pergemus.

In aliis magnus hepatis lobus colorem admodum nigrum habere compertus eſt, reliquis ejuſdem partibus ſubfuſco-rubris. Hepar univerſum magnitudine adeo adauctum eſt, ut maximam abdominis partem repleverit. Veſicula fellis exiguam humoris ſubnigro-viridis quantitatem comprehendit, ductus cyſticus et hepaticus inanes fuerunt, et ductus communis cholidochus aliquantulum fluidi perquam flavi continuit, quod in duodenum ingredi nulla preſſura cogere poterat.

In aliis lobus pulmonum dexter ſuperior modo peſſime fuit affectus pleuraeque adhaeſit, modo collapſus parti pleurae inferiori fuit adnexus. Quinetiam a partibus ejuſ-

ejusdem membranae, quae latera thoracis succingunt, non fuit disjunctus, dum eodem tempore lobus dexter inferior multum fuit exulceratus, et bronchia humore flavo glutinoso impleta sunt.

Multa e visceribus abdominis admodum morbida reperta sunt. Peritonaeum hepati circumdatum multum inflammationis subierat, et laceratu facillimum evaserat. Partes hepatis superiores diaphragmati adhaeserunt, quod inflammatum et nonnunquam spongiosum fuit. Alias hepar laxam texturam sibi comparaverat, et pressurae objectum ob sphacelum, qui longe fuerat progressus, facillime poterat divelli. Ligamentum suspensorium aliquantum crassitudinis sibi fuerat adeptum, dum vesicula fellifera bile subviride-flavâ plena fuit, modo magnitudine naturalis, modo praeter naturam adaucta. Ductus biliferi aliquando pleni et distensi fuerunt, aliquando contracti et imminuti. Quinetiam substantiae induratae in iis repertae fuerunt, modo spissitudinem cretaceam, modo mollitiem multo majorem habentes.

Sensa

Senſa animi noſtri ſuper hiſce ſignis, quorum mentionem modo fecimus, cum omnis medicus lector a nobis forſitan diſſentiret, ſupervacaneum foret proferre. Conſilio noſtro ſufficit hiſtoriam morbi hiſce phaenomenis, e ſcriptoribus, quibus ſumma fides habenda, depromptis, huccuſque illuſtraſſe. Qui hanc rem accuratius noviſſe volunt, eos ad ſcripta clari Matthaei de morbis hepaticis, qui incolas Europae, qui Indiam orientalem demigraverunt, infeſtare ſolent, relegamus. Eum auctorem, et ob perſpicuitatem et ob induſtriam quibus argumentum ſuum executus eſt, qui conſulatur quemque ſequantur, digniſſimum eſſe reperient.

DIAGNOSIS.

Cum de hac jam fuſius in definitione diſſeruerimus, non opus eſt ut multo amplius hoc in loco addamus. Principes morbi, qui ſpeciem hujuſce vitii prae ſeſe ferre poſſunt, ſunt pneumonia; muſculorum abdominis, ventriculi colive inflammatio, et

affectus

affectus denique ſpaſmodici, quales ſunt colica morbique ejus ſimiles.

Quam difficile ſit hunc morbum ab iis, qui eum reddunt, accurate ſecernere ſupra plene comprehenſum; quatenus vero hoc fieri poſſit, proximum eſt ut breviter commemoremus.

Diſtingui poteſt ab inflammationibus vicinis ſede doloris, qui ſemet ad humerum dextrum extendit, ſed certius tumore hypochondrii dextri circumſcripto, qui contrectanti manifeſtiſſime ſentitur; ab affectibus muſculorum abdominis, rubore horum et inflammatione; a pneumonia, dolore minus violento ſubterque coſtas ſpurias ſito, ictibus arteriarum minus duris et plenis, decubitu in latus ſiniſtrum difficili; a colica morbiſque ei ſimilibus, aliquanto febris, quod hepatitidem ſemper comitatur; et denique a vitiis diaphragmatis, reſpiratione liberiore et tumore externo.

Cum inflammatio partem hepatis concavam invadit, ſigna, quibus morbum ab aliis dignoſcere poſſumus, incertiora fiunt, et rebus ita ſe habentibus, a ſede doloris, decubitus

cubitu in latus ſiniſtrum difficili et dyſpnoea non admodum magna fere ſolis diagnoſis deducenda eſt. Hepatitidem hujuſmodi ab aliis inflammationibus ſecernere et internoſcere conanti nonnihil auxilii praebebunt, eodem tempore ſaepe graviter urgentia, nauſea, anorexia et ſingultus.

CAUSAE REMOTAE.

Praeter cauſas, quae quamlibet inflammationem movere, et in hepar quoque agere poſſunt, quaedam aliae ſunt, quae organi, de quo tractatur aliqua ex parte ſunt propriae. Hae a Culleno enumerantur, et hujuſmodi ſunt.

1. Externa violentia a contuſionibus caſibuſve, iis praeſertim, qui fracturam cranii fecerunt, orta.

2. Quidam animi affectus.

3. Calores aeſtivi intenſiores.

4. Exercitatio violenta.

5. Febres intermittentes et remittentes.

6. Frigus externe aut interne, potiſſimum regioni hepatis, admotum.

7. Solida concreta diverſa in ſubſtantia hepatis facta, vel materiae liquidae ibidem collectae.

8. Inflammatio hujuſce viſceris chronica, quam aliquando ſubſequitur acuta.

Manifeſtiſſimum eſt primam, cujus mentionem fecimus, cauſam, hepatis inflammationem progenerare poſſe. Si quis enim de loco editiore decidit, et viſcera ampla et laxa, et potiſſimum regionem, ubi hepar collocatur, violenter concutit, quid, quo minus in hepatitidem incidere periclitetur, poteſt obſtare? Quinetiam ictus regioni hepaticae illati, ut inflammatio ejus oriatur, facere valent.

Nonne fractura cranii, ſi incidit, in cauſa, cur ſanguis intra idem effundatur et tenſionem cerebri perdat, eſſe poteſt, unde ſyſtema ſanguiferum atoniâ corripietur, quae congeſtioni ſanguinis in vaſis hepatis propriis favebit, quae rurſus nimis diſtenſa hepar irritabunt eoſque effectus edent, quos ab irritamentis ad fibras muſculares applicatis omnes, qui rem phyſiologicam etiam primoribus labris deguſtaverunt, proficiſci

norunt?

norunt? Quod in deliquio febrili evenit, id tonum vaſorum ſanguiferorum a ſtatu cerebri pendere clare et evidenter evincit. Si aegrotus lecto contineatur, adeo ut tenſio cerebri nimis adaugeatur, pulſus arteriarum duri plenique reddentur, et aliena, et magna cum vehementia, loquetur febricitans. Si, contra, e lecto eximatur et in cathedra collocetur, adeo ut tenſio cerebri diminuatur, delirium ceſſabit ictuſque arteriarum propemodum naturales evadent.

Quod hanc doctrinam magis etiamnum illuſtrat, id eſt ſyncope. Si aliquis animo linquatur et in poſitura horizontali jacere permittatur, brevi convaleſcit; ſi vero levetur et in poſitura erecta teneatur, ſyncope non decedit, quod ſanguis circa cor accumulatur, et igitur ad cerebrum quantitate debitâ ſolitâque non devehitur. Hoc vigorem ſyſtematis ſanguiferi a cerebri tenſione pendere clare manifeſteque demonſtrat.

Quantum ad cauſam ſecundam attinet, eam cuidam mutationi ſyſtemati nervoſo illatae, quae cum vaſculoſo quoque communicatur,

municatur, inniti credimus. Actio ejus vero duplex est. Si ira vel quilibet alius ex affectibus animi excitantibus morbum, quem exequimur, moveat, actio cordis arteriarumque, judicio nostro, augetur, quae, ut quantitas sanguinis praeter consuetudinem magna ad partem, mox morbi sedem futuram, mittatur et congestio ejusdem ibi oriatur, facit, quae pro fonte inflammationis, uti in explicatione causae proximae monstrabitur, haud dubie habenda.

Si quis ex affectibus, qui animum degravant et contristant, morbum progignat, spasmus superficiei corporis infertur cursusque humorum ad partes internas, et in caeteris ad hepar, fit, unde sanguis hoc in loco accumulatur et inflammatio excitatur. Quinetiam affectus hujusmodi vi sua sedante corpus universum debile reddunt, circuitum sanguinis languidum efficiunt et congestioni igitur, cui hepar ob structuram laxam in primis objicitur, manifestissime favent.

Quantum reliquas causas spectat, nul-

lae

lae earum ullius explicationis indigere videntur, per ſe ſatis clarae et manifeſtae.

CAUSA PROXIMA.

Omnia morbi, quae ſupra retulimus, phaenomina actionem vaſorum partis laborantis, quanquam actio cordis ipſius non ſemper, quantum e ſenſibus poteſt judicari, acceleratur, adauctum ſubeſſe teſtantur. Multis in exemplis ſtimulantia hepatitidem moviſſe pro certo novimus; cum vero haec non egerunt, aut egiſſe poni non poſſunt, aliquam aliam actionis vaſorum adauctae cauſam quaeramus oportet.

Omni diſputatione de cauſa inflammationis proxima, vitatâ, eam, quam Culleno tradere placuit, lubens recipiam, quoniam optima eſſe videtur, et ſigna diverſa, quae in phlegmaſiis ſemet oſtendunt, clarius, quam quaelibet alia, exponit.

Quicunque naturam febris attentus conſiderat, is actionem ſyſtematis ſanguiferi adauctam non diu, ſine ſpaſmo vaſculorum

culorum extremorum, manere poſſe videbit. Eundem in inflammatione quoque ſubeſſe demonſtrant horror, ſenſus frigoris et alia ſigna, quae ſub initium ſemet oſtendunt. Igitur nemini, uti ſpero, in errorem incidere videbor, ſi cauſam hepatitidis proximam in ſpaſmo vaſorum poſuero. Hic autem modo ſequente progenerari videtur. Aliqua cauſa ineaqualitatis circuitus ſanguinis, ut quantitas nimia et inſolita ad hepar devehatur, facit; quae vaſa ejus propria praeter naturam diſtendit totumque viſcus magnopere irritat. Quo vero vis naturae medicatrix accummulationi ſanguinis in parte laborante nimiae factae occurrat, ſpaſmum, ut omnibus aliis exemplis febrilibus, movet eoque contra morbum quaſi pugnat, actionem vaſorum magis magiſque etiamnum adaugens. Spaſmus vero non hepate ſolo circumſcribitur, ſed in univerſum ſyſtema diffunditur, ut pallor totius corporis et excretiones et ſecretiones imminutae teſtantur.

Quantum ad hepatitidem chronicam

attinet,

attinet, quae mortales apud Indiam orientalem tam frequenter exercet, nonne phaenomena morbi magnaque mercurii corticifque Peruviani utilitas caufam ejus proximam in atonia fibrarum mufcularium vaforum, quae fanguinem hepati fuppeditant, confiftere admodum probabile reddunt ?

EXPLICATIO NONNULLORUM E SIGNIS.

1. *Doloris et tenfionis dextri hypochondrii, quae preffurâ augentur.*—Dolor a diftenfione vaforum et morbida fenfilitate, quas utrafque fecit quantitas fanguinis, quam continent, aucta, haud dubie oritur. Auctus dextri hypochondrii et tenfio a fanguine praeter naturam ibi accumulato molemque vifceris augente plane pendet. Et preffura vafis jam nimis diftenfis applicata fibras eorum mufculares magis magifque irritat et tendit, et igitur dolorem non augere non poteft.

2. *Doloris,*

2. *Doloris, in morem pleuritici, ſaepe acuti, ſed ſaepius obtuſi.*—Cum dolor acutus eſt et inſpiratione augetur, concludere licet, partem hepatis convexam inflammationis eſſe ſedem, et hepar peritonaeo adhaerere, ut in caſu, cujus mentionem ſupra feci, incidit, ubi morbum pro pleuritide habuerunt medici. Nec, rebus ita ſe habentibus, quin membrana hepati circumdata, quae magis ſenſilis quam pars parenchymatoſa eſt, potiſſimum laboret, dubitari poteſt. Si dolor, contra, obtuſus eſt, in primis probabile eſt, inflammationem parenchymatoſam partem occupaviſſe, ubi vaſa inflammata, ob mollitiem ſtructurae, impetui ſanguinis facilius cedunt, et non aeque, ac in parte modo poſita, diſtendi poſſunt. Quinetiam praeter conſuetudinem diſtenſa hic facile ſerum, vel nonnunquam ſanguinem, in telam celluloſam effundunt, quod tenſionem vaſorum tollit, et dolorem igitur imminuit obtuſumve reddit.

3. *Doloris ad claviculam ſummumque humerum dextrum ſemet extendentis.*—De cauſa,

ſa, a qua hic proficiſcatur, acriter certarunt medici. Nonnulli eum a dextro phrenico nervo cum pare tertio quartoque ejuſdem lateris per cervicales conjuncto oriri exiſtimaverunt. Caeterum haec conjectura ingenioſa difficultatem non tollit. Plerique hunc dolorem a hepate diaphragmati adhaerente, quod quidem maxime probabile, proficiſci opinantur. Pondus hepatis tumefacti, rebus ita ſe habentibus, diaphragma degravat et tendit. Haec autem tenſio ad claviculam ſummumque humerum dextrum per continuitatem pleurae, quae cavum thoracis ſuccingit, diffunditur. Dolor in hiſce locis ſentitur, quod oſcillationes non ultra ea progrediuntur. Hoc ei, quod in fidibus incidit, ſimile eſt, ubi pons, uti vocatur, punctum fixum eſt, ultra quod ſonitus nequit propagari.

4. *Decubitus in latus ſiniſtrum difficilis.*—Cum aeger in latus ſiniſtrum decumbere conatur, dolor non oriri non poteſt, quod pondus hepatis per inflammationem tumefacti ligamentum laterale, e duplicati-

one peritonaei compositum, quo lobus magnus dexter cartilaginibus costarum spuriarum adnectitur, lacerat aut lacerare periclitatur.

5. *Dyspnoeae et tussis siccae.*—Qua ratione tumor hepatis spiritum difficilem reddere possit, intellectu minime difficile. Liberum septi transversi descensum, a quo respiratio magnopere pendet, impedit. Nec, quomodo tussim moveat, ulla explicandi difficultas est; motum enim diaphragmatis liberum interpellando pulmones irritat, et tussim igitur, quam nihil sputi, pulmonibus sanis et illaesis, si irritationem excipias, subsequi potest, exsuscitat.

6. *Vomitionis.*—Si superficies concava afficiatur, inflammatio cum ventriculo, qui ei subjacet, facile potest communicari. Sensilitas autem hujusce organi tanta est, ut actio ejus non difficulter possit excitari. Si vomitus diu maneat, motus partis superioris duodeni peristalticus invertetur quantitasque bilis rejicietur.

7. *Diarrhoeae biliosae.*—Hepate per inflammationem irritato, nimia bilis quantitas

titas ſolet ſecerni. Haec vero inteſtina ſtimulat motumque eorum periſtalticum adauget, diarrhoeam, de qua verba facimus, progignens.

8. *Singultûs.*—Si ſuperficies hepatis convexa laborat, diaphragma multum irritabit eumque motum ejus abnormem, qui ſingultus appellatur, faciet. Si pars concava inflammatione corripitur, ventriculum irritamento afficiet, quod inde ad diaphragma diffundetur.

9. *Icteri.*—Si hic accedat, vel a ſtrictura ſpaſmodica ductus biliferos conſtringente, vel a concretis bilioſis eoſdem obturantibus pendet. Quorum utrum evenit, bilis non amplius in duodenum deſcendit, ſed per vaſa lymphatica abſorbetur et in ſyſtema ſanguiferum devehitur. E vaſculis cutaneis extremis tandem cutem inter et cuticulam effunditur, et ſuperficiem corporis ſuo colore impertitur.

PROGNOSIS.

Qualis exitus morbi futurus ſit, indicabit proclivitas ejus ad fines tutiores vel periculoſiores ſupra memoratos. Reſolutionem, quae omnibus votis exoptanda, portendunt magna urinae cum ſedimento copioſo excretio, ſudor univerſus calidus; pulſus arteriarum molles, pleni et aequales; alvus bis terve ſingulis diebus ſponte mota; quae omnia conſtrictionem ſpaſmodicam ſublatam eſſe demonſtrant.

Si pus formetur et non ſubito evacuetur, ulcera diaphragmatis et pulmonum oriri periclitantur, quae viam in ventriculum colonve nonnunquam ſibi patefaciunt. Exemplum prius non minus lethale, quam poſterius, eſſe judicaſſemus, niſi caſus ſupra comprehenſus nos alia docuiſſet. Nihilominus exempla hoc genus ſummo periculo nunquam vacant. Si pus, quod hepar peritonaeo non adhaeret, in cavum abdominis effundatur, vita aegrotantis in ſummo periculo verſatur. Si pus

viam

viam ſibi per integumenta aperit, et, uti chirurgi loquuntur, laudabile et quantitate modicum eſt, ſpes finis proſperi et felicis affulget.

Si gangraena invadit, ſalus aegroti haud dubie deſperanda ; quanquam caſus ab auctoribus memoriae fuerunt proditi, ubi contrarium incidit.

RATIO MEDENDI.

Concilia autem hepatitidi medendi ſunt.

I. Impetum adauctum ſanguinis in toto ſyſtemate, ſed potiſſimum in parte laborante, imminuere.

II. Conſtrictionem vaſculorum extremorum ſpaſmodicam removere.

III. Signa anomala levare.

Primo conſilio reſpondent ſanguinis detractio, cathartica, refrigerantia et regimen antiphlogiſticum.

1. *Sanguinis detractio.*—Cum tonus ſyſtematis a quantitate ſanguinis, quam vaſa continent, magnopere pendeat, haudquaquam ambigere poſſumus, quin ad ſanguinis

guinis miſſionem, quandocunque ſanguinis quantitas morbide augetur, ut in omnibus phlegmaſiis incidit, confugi debeat. In his quidem fere ſolum praeſidium eſt. Unica ratio vigorem ſyſtematis morbidum imminuendi eſt partem quantitati humorum circumeuntium detrahere. Nullus quidem morbus eſt, in quo neceſſitas ſanguinem brachio detrahendi clarius, quam in hoc de quo diſſerimus, indicatur. Initiis etiam ipſis hujuſce inflammationis per hanc evacuationem occurrere neceſſarium eſt, licet dolor ſit obtuſus, et pulſus arteriarum non multo ſolito frequentiores evaſerint, quoniam, ut ex hiſtoria diſcimus, morbus intra ſpatium breve ſuppuratione finiri periclitatur. Si ſigna inflammationis manere videantur, miſſio ſanguinis rurſus peragenda. Sanguis quoque e regione hepatis per cucurbitulas cruentas hirudineſve emiſſus, experientiâ teſte, multum profuit. Antequam hanc partem argumenti ad finem perducimus, jam dictis hoc adjiciendum eſt, ſanguinem per inciſionem amplam et in poſitura horizontali detrahere praeſtare,

quod

quod hoc modo corpus magis relaxatur, et irritatio posturae erectae vitatur.

2. *Cathartica.*—Haec sunt alia molem humorum circumeuntium imminuendi ratio. Ea sola conveniunt, quae ad canalem alimentarium contentis suis liberandum accommodantur, et quam minimum potestatis stimulantis habent. Spasmum vascula intestinorum extrema afficientem efficacissime tollunt, et congestionibus ibi factis potenter occurrunt. Quae lenia sunt vimque refrigerantem habent, ea sunt adhibenda, qualia sunt sales medii, sena, manna et similia.

Liquores emollientes sub forma enematum in alvum saepius sunt immittendi, quae non tantum faeces induratas removendo, sed etiam intestina fovendo et igitur relaxando plurimum prosunt.

3. *Refrigerantia.*—Efficacissima horum sunt acida salesque medii. Hi in systema sanguiferum potissimum, motum sanguinis minus violentum reddendo et ita corpus refrigerando, agere putantur. Caeterum magnopere dolendum est, plerosque eorum

multo

multo minus, quam vulgo putatur, esse efficaces. Hanc ob causam noster Gregorius illustrissimus in praelectionibus excellentissimis affirmat, non multum fiduciae in his solis, diathesi phlogisticâ magnâ, esse collocandum. Refrigerantibus nitrum fuit annumeratum, sed sal admodum injucundum est, et effectus perquam stimulantes in corpora nonnullorum edit. Ut ad acida igitur, cum refrigerantia indicantur, decurratur suademus. Vegetabilia reliquis anteponenda sunt, quod largâ quantitate sumi possunt, et ad alvum solutam tenendam igitur conferre valent.

4. *Regimen antiphlogisticum.*—Hoc in omnibus stimulantibus, quae actionem cordis arteriarumque augerent, vitandis consistit. In primis calor, utpote qui potestatem admodum stimulantem habeat, sive externus sive internus, nisi diaphoresin velis movere, diligenter curioseque fugiendus.

Posituram horizontalem, in qua paucissimi musculi exercentur, adhibeat aegrotus, et ex toto taceat, ne stimulo a loquendo oriundo laedatur. Cum irritabilitas

tas ſyſtematis in morbis inflammationem habentibus magnopere augeatur, omni cogitatione, ſi fieri poſſit, abſtineat aeger, et ab omni ſtrepitu quam longiſſime removeatur. Nihil cibi animalis, qui plus quolibet alio alimenti genere corpus ſtimulat et irritat, capiat, ſed vegetabili, potiſſimum farinaceis, victitet. Hoc morbo laborantibus, non ſine ratione graviſſima, liquoribus ſpirituoſis ab omnibus medicis fuit interdictum. Denique ſitis liquoribus diluentibus mitioribus reſtinguenda, et irritatio a ſtercore indurato oriunda uſu enematum, quaque hora quadrageſima octava ſaltem, ſi alvus non ſponte moveatur, adhibendorum, conſtanter tollenda.

Conſilio ſecundo accommodantur, fomenta calida, epiſpaſtica, et diaphoretica.

1. *Fomenta calida.*—Haec, quoniam curſum humorum ad ſuperficiem faciunt, et ita vaſa hepatis inflammata et nimis diſtenſa relaxant, regioni hepaticae applicari poſſunt. Caeterum cum, niſi ſumma attentio adhibeatur, periculum, ne aegrotus inter ea adhibenda frigus colligat, ſit, nihil am-

plius ſuper iis dicemus, ſed ad epiſpaſtica, quae parum moleſtiae nihilque noxae ſecum adducere valent, conſideranda progrediemur.

2. *Epiſpaſtica.*—De modo, quo haece agant, acerrime certaverunt medici, alii ea evacuatione, quam faciunt, alii viribus antiſpaſmodicis, quae illis plane inſunt, effectus ſuos edere affirmantes. Ex iis vero, quae praeſtant prope partes inflammatione laborantes applicata, non ſine gravi cauſa poteſt concludi, ea curſum ſanguinis mutare, partes affectas ſerum evacuando relaxare, et igitur vi antiſpaſmodicâ ſibi propriâ agere.

In hoc morbo epiſpaſtica magnopere deſiderantur, et, quo propius partem laborantem applicantur, eo plus proderunt. Hiſce cauſis inducti, ut, ſanguine ſatis liberaliter detracto, epiſpaſticum amplum regioni hepatis ſuperimponatur, et, niſi dolor aliaque ſigna remittant, rurſus reiteretur, ſuademus.

3. *Diaphoretica.*—Supra fuit notatum ſudores liberales morbum ſaepe depuliſſe,

nec

nec aliter quidem, nisi causa proxima nos fugerit, res sese habere potest. Cum experientia igitur diaphoretica potestatem cursum humorum ad corporis superficiem faciendi insignem habere testetur, silentio non praetereunda videntur, ubi strictura spasmodica, quae pro causa hujusce inflammationis, ut supra asseruimus, habenda, tollenda est. Ad lenissima vero tantum confugiatur, quoniam valentissima eorum diathesin phlogisticam, actionem cordis arteriarumque augendo, intendunt. Si humiditas cutis sponte fuerit orta, haec actionem eorum non parum promovebit. Ut ad emetica salesque medios, et alia similia, decurratur suadent auctores; sed, ob rationes supra positas, sales medios solos adhibendos putamus, qui, si non multum prosunt, nihil saltem nocebunt. Haustus salinus, uti appellatur, est forma, qua possunt praecipi, forsitan optima.

Quo impetus humorum ad superficiem factus conservetur, liquores aquei sumendi sunt, sed non eâ quantitate, ut per molem suam ventriculum irritatione afficiant, quae

brevi

brevi cum hepate communicaretur et ſigna inflammationis augeret.

Diaphoretica magis refrigerantia palatoque aegroti gratiora reddendi aliquod acidum vegetabile, quale eſt ſuccus limonum, potioni ejus adjiciatur.

Ad ultimum conſilium jam ventum eſt, viz. Signa anomala levare.

Singultus et vomitio ſaepe graviter infeſtare pergunt, licet ad omnia praeſidia ſupra comprehenſa fuerit decurſum. Si, rebus ita ſe habentibus, febris non concita ſit et ventriculus ferre poſſit, periculum opii, ſed caute, ne diatheſin phlogiſticam augeat, facere conveniet. Si ventriculus aegroti uſum opii reſpuat, ad enemata anodyna confugiatur.

Suppuratio, quanquam omnes eam arcendi rationes adhibitae fuerunt, frequenter accedit. Quod ſi incidit, fomentis, cataplaſmatis ſimilibuſque promoveatur, ſi tumor extrorſum vergat. Cum maturitatem attigiſſe videtur, in auxilium quam primum vocetur chirurgus, et pars curationis reliqua curae ejus demandetur.

Si

Si pus interne effundatur, periculum eſt ne materia per vaſcula lymphatica abſorpta febrim hecticam moveat. Huic abſorptioni putridae omni ratione occuratur. Votis noſtris optime reſpondebunt poteſtates corticis Peruviani antiſepticae notiſſimae. Cum primum ſigna ſuppurationis ſemet oſtendunt, praecipiatur cortex ſubſtantiaque liberaliter detur.

Si ſchirrus orietur, nunquam negligatur mercurius, qui circuitum in tumoribus induratis, potiſſimum recentibus, potentiſſime renovat. In ſyſtema modo leniſſimo, ut frictione, invehi debet, vel interne ſub forma pilulae caeruleae pharmacopiae Edinenſis dari poteſt. Sive hoc ſive illo modo adhibeas, ita regatur ut ſputum modicum tantum moveat, et in uſu ejus per aliquantum temporis perſtetur.

Antequam hanc diſſertationem ad finem perduco, quo ſumma corticis Peruviani utilitas in omnibus caſibus hepaticis in luce quam maxime illuſtri ponatur, verba auctoris * eruditi, qui morbos hepaticos nuper

* Vide Mathew's Obſerv. on hepatic diſeaſes, p. 162.

per accuratiſſime executus eſt, et ob ſucceſſus proſperos in iis apud Indos orientales depellendis plurimum famae ſibi merito comparavit, citanda putavi.

" A great variety," *inquit*, " of opi-
" nions are eſtabliſhed reſpecting the pro-
" priety of adminiſtring the cortex in any
" form, where there is an increaſed im-
" petus of the blood, or where any ob-
" ſtruction is generated. This diſeaſe
" brings forward and ſupports an excep-
" tion to theſe. For certain it is, (however
" much practice may deviate from theory,)
" that here we have the moſt convincing
" proofs of its efficacy, being thoroughly
" confident that, without the aſſiſtance of
" this medicine, *mercury* would not be
" effectual, or the cure ſo certain. Becauſe
" when the bark is given in this manner †,
" it effectually conſtringes the relaxed
" veſſels, which enables them to bear the
" power of mercury without incurring the
" risk

† An electuary of bark and Cam. flowers.

" risk of greater feeblenefs, by which " means the mineral is prevented from " running off by the falivary glands, but " retained fo long in the habit, that the " obftructions will be refolved and re- " moved."

Ratio medendi, in quam procedatur fuadet auctor eruditus modo pofitus, notioni, quam recipimus, caufae proximae ex toto convenit, et curationi hepatitidis chronicae potiffimum quam optime accommodatur. Hoc quoque viro illuftriffimo, Dr. Duncan, lubentiffimi affentimur, electricitatem, quae, uti omnes hodie fatentur, in auxilium atoniae mufcularium fibrarum promptiffima eft, in hac hepatis conditione plane indicari videri, quanquam nullum adhuc, quod noverimus, periculum ejus fuit factum. Denique ad cicutam poteft decurri, quae, ut a multis, quibus fides debet haberi, accepi, ad tumores hepaticos difcutiendos aliquando non parum conferre plane vifa. Nullum enim

enim remedium, licet aliqua ex parte anceps esse videatur, in morbo, qui tantum periculi habet, ob dubitationem de ejus efficacia incuriamve, negligendum.

FINIS.